




QK



QK 33^b, 7^a



QK. 33^b, 7^a

Cat. I, 396.





SECRETISSIMA
INSTRVCTIO, GALLO-
BRITANNO-BATAVA, FRI-
DERICO V. COMITI PALATINO
ELECTORI DATA.



EX GALLICO CONVERSA AC
bono publico, in lucem evulgata.

Anno M. DC. XX.



96.



A M I T R I T E R G R E

G E L D

T R A N S F O R M A T I O N

P E R I O D I C O L I B R A R Y

E R E C T O R I D A T Y

L X G A I E T C O C O N V E R S A A C

P o r t o b i p l i c o , n u l n c e u l g a l g a s

M D C X X .





SECRETISSIMA INSTRV-

ctio, Gallo-Britanno-Bataua, Friderico V.

Comiti Palatino Electori data.



ERENISSIME PRINCEPS,
alumne charissime, à fidelissimo
tuo Educatore, Exercitato milite, & versatissi-
mo Politico, documenta non quotidiana cape: His seruatis, te serua-
bis: hisce regna Britanniæ vnta, Hollandia defensa, Galliarum Reges
in officio retenti sunt: Hisce tu Cæsarem compesces, Cæsar eris. Audi
Educatorem, Magistrum, Clientem, cuius salus ex tua salute pendet,
secreta, sed seria consilia suggerentem. A puero didicisti inter consili-
um & adulationem quid intersit. Cauebis autem, ne ad alios arcana
hæc imperij perferantur, quæ si inimici tui rescuerint, jam tu perijsti.

I I.

XII

IA&a est alea, transisti Rubiconem, tenendum est institu-
tum: cadere jam de fastigio tua maiestas potest, descendere non
potest: Inter pares, viuere par non potest, qui pares oppressit: aut
omnes etiam tuæ potentiaæ adjutores opprimendi sunt, aut totum
perdendum. Pauci reges ab hostibus, multi ab æmulis, & quondam
fidis, plerique ab intimis trucidati sunt. Alexandri tota progenies
cæsa est ab Alexandri Ducibus. Hæc tecum perpendes, & Historicum
tuum rogabis.

III.

Tvo in regno, si vñquam in vlo, non est minor, sed maior
virtus, quām quærere, parta tueri: major inquam, nam sine tuo
labore, tuorum astu, versutijsque, tibi sunt omnia parta: vno verbo,

A ij

si fateri

si fateri inter secretissima arcana licet, Errore factus es Rex. Attoto corpore tuarum ditionum socrorumque defendendum est, quod acce- pisti. Numerā à Iulio Cæsare vsque ad Ferdinandum, inter centum, qui regna per vim occuparunt, non sunt quatuor, qui non eadem per- diderint, & cum tota familia perierint. Inter magnos Reges, pau- cissimi suo die defuncti: Inter quinquaginta Cæsares, quare tres, qui post multas seditiones, non dederint sanguinem inuidiæ vel odio. Inter Bohemiz Reges, duo solūm sine rebellione regnarunt. Tu quorum locum tenes, pericula expauesce: Gladium contra Cæsarem sumpsisti, gladium non modò Cæsar, sed cuiuscunque time: Domi- nus est vitæ tuæ, quisquis contemtor est suæ: Immò tanquam de inua- sore & prædone triumphabit, quisquis te occiderit. Cautionem itaq; à nobis, magnificentiam ab aulicis disces, fortunam ex defunctis, atque utinam legendo, non experiendo.

IV.

Tria igitur hoc rerum statu circumspicies hominum ge- nera: Hostes apertos, Amicos veros, & qui sunt vel ficti amici, vel tecti hostes, quos omnes inter Dubios numeramus.

V.

Hostes aperti sunt, Domus Austriaca, Pontifex, Italici, & qui his sine fraude ac fuco ingenuè adhærent. Contra hos opus est tibi, sumptu magno, diuturno, Ducibus magnis, fidisque, milite perpetuo: quia hæc illis adsunt: saepius vinci possunt, tardè debellari possunt. Nosti Hanibalem tribus magnis, decem mediocribus præ- lijs victorem, tandem bello victum, vectigalem, exulem, veneno tot decora perdidisse.

VI.

Pares sumptus, viresque, apertis hostibus non habes, ideo à fœderatis petenda sunt: in quo multa pericula. Primùm ne grauentur impendijs. Secundò ne de recōpensatione desperent. Ter- tiò ne casu aduerso frangantur. Quartò ne inter se dissentiant. Quintò ne alio bello implicitentur. Sextò ne illis tua potentia inuidiosa red- datur. Denique ne quauis ex causa, multi dissententes, & quorum proposita

Attoto
uod acce-
centum,
dem per-
ges, pau-
tres, qui
vel odio.
nt. Tu
Cæsarem
: Domi-
de inua-
uem itaq;
efunctis,

num ge-
eti amici,

talici, &
hos opus
e, milite
lebellari
bus præ-
neno tot

es, ideo
mùm ne
nt. Ter-
Quintò
osa red-
quorum
roposita

proposita contraria sunt, te deserant. Hæc exemplis te tua Germania tempore Caroli V. docuit, cū Principes prodiderunt Ciuitates. Valde itaque considerandum, quomodo par hostibus esse possis.

VII.

Neque solūm hostium, quæ modo est, potentiam expendas velim, sed eam, quam extrema pericula, vel desperatio efficerere potest. Qui vincitur, & magno animo est, yndique arma habere potest. Quid si Ferdinandus, Leopoldus, Carolus, alij, extrema tentent? Si jura sua Venetis transcribant? Si Magnatibus Poloniæ, vel illi Regno, Lusatiam, Silesiam, Morauiam tradant? Quid si ius suum non dico Hispano, aut Franco, sed cuius alteri offerant? Quid si fœderum vigore, vltrò oblata à Turcis auxilia accipient, vnde tu & Gabor petijstis? Putas Turcam tam speciosam caussam deserturum? Quid si Hispanus cum Turca pacem faciat? Quid si Istriam, Carniolam, Carinthiamque Venetis diuendant? Itaque securus esse noli, victor inex. Peccato ferieris i&t. Miserorum est industria: nunquam alto sanguini deest miseratio, nunquam afflictis auxilium. Sed quid me diffundo? ferieris, à quo minimè putabas.

VIII.

De Amicis, scito paucos esse tibi, Socer, Vxor, Dux Bullionius, quidam agnati, Frater, si coluntur, amici sunt: cæteri fortunam tuam venerantur, suæ spei, suæ promotionis sunt amici, quibus nisi tu satisfacias, & citò ac vbertim satisfacias, experieris proditores, ac transfugas. Quotus enim quisque te tuâ, non suâ caussâ secutus est? quotus quisque recedens, tibi non maledicit? Sed de amicis tuis speciatim considera.

IX.

Bohemi amici nequaquam sunt. Id verius, quām credibilius est, senties id tamen, ubi acta perpenderis. Primum non honoris tui caussâ, sed necessitate compulsi, Te Regem dixeré, & quidem à Saxone Bauaroque repudiari; & magna tamen concertatio fuit, ne Saxonem in uitum præferrent, aut Gabrielem. Deinde liberi esse statuerant more Hollandiæ & Venetiarum, & jam Helueticas Republicas meditabantur, sed positi inter Duces & Reges, cum viderent

subsidia non dari à Principibus in tam pernicioſo exemplo, cum etiam aduerterent, in electione Imperatoriâ, rationem statuum non haberí, ſed Regis, non inconsultum arbitrati ſunt, cærimoniali coronatione ſibi auxilia parare.

Tertiò clarius etiam odij ſui ſignum in te jam oſtendunt, cum eaſ tibi conditiones ferunt regnandi, quas moderati Domini mancipijs imponere vix ſolent. In omnia eorum acta agendaque jurare cogeris: ſi delinquas, iſi tui ſunt actores, teſtes, Iudices, forte & præcipitatores. Bellum tu gerere, ſcribere militem, ijs inuitis, non potes; illi ſine te, & contra te poſſunt: Armamentaria habere tibi non licet, illi habere volunt. Denique eorum Senatus consultis ſubſcribere cogēris, etiam in tuum, & tuorum opprobrium, etiam contra tuam ſalutem; ni faxis, Rex non eris. Neque te moueant blanditiæ & obſequia: plus affectat in huiusmodi rebus ſimulatio & oſtentatio, quam veritas & amicitia faciant. Fictioni multis opus eſt tegumentis, ne pateat. Caue igitur illiſ credas. Naturam eorum perdiſce: inter va- pores cereuifiaꝝ, ruſtuſque, jam ſaturi & oppleti deliberant; atque ad ea, quæ cogitarunt, eſſi cienda, præcipites ſunt celereſq; Bohemia in-digenis Regibus ſemper nouerca fuit, tibi extero, ne ſpera matrem fore. Dum alios timet, dum à te ſperat, paulūm interquiescit, te ſi timere cœperit, à te ſi ſperare deſierit, redibit ad ingenium.

X.

CVm igitur Bohemi naturā ſint asperi, efferi, contumaces, in confilijs abrupti, in executione inopinati, recte facies, ſite nondum Regem eſſe, nec iſpos tuos ſubditos, arbitreris.

Arborem te eſſe cogita, quæ non radicibus fixa, ſuis ipſa membris firmetur in terram deppreſſis, ſed quam fulcra & ſtatumina ſuſtentant externa, quorum nonnulla de facili ſuccidi & abrumpi poſſunt. Per-pende nullam eſſe diuturnam potentiam, quæ ſuis viribus nixa non eſt. Tuum imperium, non niſi conſenſu parentium, validum eſſe po- reſt: at conſenſu ille momontaneſ volubilisque eſt. Experieris, vbi Aūtriacos timere deſierint, vbi tributa exegeris, vbi ſupplicia decreueris. Immò non obſcurè te Lutherani & Hussitæ deteſtantur, Saxo-nemque reſpeſtant, vt ſuꝝ libertatis vindicem. Nec defuerunt, qui conſuerint, te puerum coronandum & tollendum, vt Augustum Cice-ro laudandum & tollendum dixit. Tu ne committe, vt tolli poſſis.

tibidin

A

XI. Hæc vt

X I.

Hæc ut penitus peruidas, cognatum Mauritium & Hollandos specta. Nemo ab hominum memoriâ periculosius feliciusque pro patria gessit bella, quam Mauritius: nemo paternâ memoriâ gratosior fuit: in nullum maior ciuitatum affectus fuit. Quæ enim non dixerunt feceruntq; cum triumphantem exciperent? quæ non dederunt pollicitique sunt, cum etiam Virgines nudas publicitùs offerrent? Nunc verò nisi occupasset facinus, ille cadauer esset, regnaret Barneueltius. Caussa est, perpetuum certamen inter libertatem & regnum. Eadem est in Bohemia. Tu cupis esse Rex absolutus, non larua Regis. Cupis omnes tibi subditos esse: illi cupiunt esse maximè liberi, nec Regem quicquam, nisi quod illi volunt, posse. Dum igitur illi immoderatam petunt libertatem Regibus dominantem, Tu non precarium, sed obnoxium in subditis obsequium, necesse est motus oriri, vt nunc videmus in Belgio, vbi omnia tentantur, nec tamen magnis multorum odijs vlla potentia par inuenitur. Itaque præstat bit Belgium totum in seruitutem rapere, quam tam anxio imperio tenere. Quod nunc mutatis, pro conditione temporum, magistribus, felicitèr inchoatum est.

X II.

Venio ad alios amicos, quos difficulter inuenies, si judicaueris Bohemos amicos non esse. Gabor Transsylvaniaus tibi amicus non est, sed odio Cæsar, & timore, fœdus tecum pepergit, vt dum te obijcit periculis, ille Hungariam teneat muniatque. Bohemiæ regnum & ille affectauit, sed spe suâ frustratus, ringitur, quod tecum hanc partiri prædam beat; cum primum poterit, quod dimisit in uitus, omni conatu recuperare contendet. Suâ te Regem factum jactitat operâ, præmia petit; Nouit is probè, non posse Hungariam, contra Turcas, Tartaros, Venetos, Polonos, ipsos Hungaros, à se defendi, nisi alijs Regnis Prouincijsque adiectis. Bohemiam itaque, additasq; illi ditiones, suæ Coronæ esse necessarias non immerito putat. Cum verò jus eligendi Regis in Bohemia proceres sibi vendicent, non difficultèr in suam sententiam hos pelliciet, facietque tibi, quod tu Ferdinando, & quod ipse Domui Austriacæ. Immò si Cæsar illi Hungariam in feudum donet, nisi à moribus suis degenerauerit, omnibus paratus erit contendere viribus, vt Bohemia Austriacis restituatur.

X III. Multò

etiam
aberis,
tatione
cum
man-
jurare
& præ-
potess
licet,
ere co-
am sa-
z obse-
quam
cis, ne
ter va-
que ad
nia in-
matrem
it, te s

naces,
s, site
embris
entant
. Per-
ka non
esse po-
ris, vbi
decre-
, Saxo-
nt, qui
n Cicce-
sis.

Hæc ut



XIII.

MUltò minus Turcam fidum amicumque existimabis. Iucundissimum ille sibi, in vestibulo Portæ suæ, spectaculum de vestris pugnis exhibet: Victor pariter & victus præda erit is: Sic arietes, spectante lupo & inhiante, concurrunt: Sic galli gallinaceis plaudente aquila, præliantur. Axioma Turcarum est, nulli Christiano, nisi commodi sui caussâ, amicum esse. Nullum hactenus bello, si omnes euoluas annales, juuit, quem non in miserandam redegerit seruitutem, fidem sola utilitate ac quæstu metitur. Tot opum ac virorum impendijs pro Hungariâ depugnauit, toto Europæ corpore illa defensa est: At

— Quod optanti promittere nemo
Auderet, voluenda dies en obtulit ultrò.

Sine sanguine, sine sumptu, Hungariam tenet, per vasalium fidum possidet, tributum accipit, jus traducendi exercitus habet. In Morauiam, Bohemiam, Silesiamque, & si non statim mouerit, tu semper eum expectabis. Nam Gabriel eius præsidio Transyluaniam obtinet, eiusdem Hungariam occupat, Bassæ subsidio militem paratum habent, vocati & inuocati aderunt, Vrbes pro cautione ac pignore, vt Lippam in Transyluaniam, accipient.

An tu forè speras, vt Turca suis moribus non vtatur? cur tam perfidè, atrociter, periculoseque Germaniæ imperium infestauit, si nunc te securè regnarem sinet? At seruet sanè fidem, at tu illi credere nequaquam debes, quia nunquam hactenus seruauit fidem. Legationes igitur tuæ, quas partim præmisisti Constantinopolim, partim nunc adornas, profusa etiam donaria, quibus Turcas demereris, subiectio-
nis tuæ Symbola erunt, securitatis vades non erunt. Hoc sanè hor-
rendum est, Regnum tuum, cum primum violare fidem visum illi fuerit, in eius fore potestate, si ad altam te portam suam vocauerit,
eundum esse. Si vt arma Turcicis coniuncta contra quempiam Chri-
stianum conuertas, jufferit, idem facere cogēris, quod ante bienium
tuus Gabor fecit, contra Polonos exercitum suum, Duce Schender
Bassa, expediendo. Nec insolitum tibi videri poterit, si fidem Turca
fallat, cum ipse, vt de Gabor taceam, tot modis, iuriandum & fidem
regnandi caussâ violaueris, & exemplum contra te dederis. Ego verò
puto Turcam & tibi & Gabrieli tunc fore infestorem, quum vos feli-
ces putabitis. Nam Turca hactenus id egit, vt discordijs Christianorum
rem stabiliret



rem stabiliret suam, nunc si Te, Gabrielem, Venetos, ac Principes quosdam Germaniae concordes viderit, sibi timebit: Itaque pulsis Austriacis, vos dissipabit, disiunctos inuadet, Te per Gabrielem, Venetos per alios vastabit.

XIV.

Quae de Turcis, deque tuo Transyluano Gabor attigi, ut vberius nōris, juuat. Cognosces autem ex litterarum copijs fideliter ex originali transcriptis. Disces sanè ex illis artem cum Turcis tractandi, nec pudeat pigeatq; à Veterano, quique magnam virilis ætatis partem apud Turcas contriuit, tyronem in hāc palæstrā discere. Sed & intelliges distinctè, quem in scopum curas cogitationesq; suas Gabor direxerit. Ut autem promptius assequaris, quæ prioribus litteris habentur: Scire debes, Gabrielem tuum, contra Principem ac Dominum suum, validum Turcarum exercitum, in ipsa Transyluania viscera duxisse, eaque miserandum in modum vastatā direptaque, sublato Gabriele Bathoreo, Principatum sibi firmasse. Turcas, multis Christianorum millibus in diram seruitutem ab ductis, Transyluaniam excessisse. Ut igitur nauatae operæ promissa jam dudum præmia, Turcis exsoluerentur, collectis omnibus Transyluania viribus, bellum contra sanguinem suum mouit, quas Turcis promiserat arces, valida Christianæ Reipub: præsidia, ijsdem consignaturus. Præsidiarij tantum facinus auersati, cedere noluerunt, sed muris vi tormentorum dejectis ac dissipatis, Lippa in primis mœnibus cincta, ac duplii arce munita, deinde Solymos, Eperies, Totuaraggya, Margita, Monostor, Arad, Syri, Faesat, occupata, Turcisque in manus tradita, longeque maior tractus Hungariæ Turcis hac deditiois ratione cessit, quam sedecennali superiorum annorum bello, ab ijsdem fuerit occupatus.

Posthunc tam heroicum (Turcicæ videlicet seruituti nobilissimam prouincia portionem mancipando) actum, ad Vezirum Nakas; Hassanem Bassam, priores litteras ex castris ad Lippam positis scripsit: Posteriores vndenam, quaue occasione dederit, ex ipsis percipies.

EXEMPLVM LITTERARVM Betlemi Gabor, ad Vezirum Nakas; Hasanem Bassam.

Spectabilis ac Magnifice Vezir Bassa, mihi semper beneuole,
honorande Domine; Deus Vestram Magnificentiam conseruet,

B

fortunatam

fortunatam reddat, & vnum ipsius diem in terris, in multa millia propagando, in seruitijs potentissimi inuictissimique Cæsar, beatâ prosperitate exornet.

Ab annis compluribus inter nostrum potentissimum inuictissimumque Cæsarem, & regnum Transsyluanæ, alienationes disceptationesque intercurrerunt, ob adeptam nec redditam Lippam. Diffiteri non possumus, plurimas easque justas ac euidentes caussas fuille, ob quas nec Regnum, nec qui hucusq; fuere Principes, adduci potuerunt, vt eam redderent. Nam ex quo priscorum Hungarorum progenitores, relictâ Scythia, ferro absumptis harum terrarum incolis, Regnum acquisuerunt, nullo vñquam tempore, vel auditum, vel lectum alicui, quod gens Hungarica, non dico Arces, Ciuitates, tractus integratos, sed vel palmum terræ, sine armis, sine sanguine, sine cæde, gratis alicui concessisset. Ex quo autem gens Othomanica contra Hungaros bella gerit, quacunque in arce soli Hungari milites fuere, quantumuis valida impressione premerentur, haud sese dediderunt, ad vnum omnes internecione deleri pro defensione patriæ maluerunt. Testantur id Alba Græca, Temesuar, Gyula, Szigetum.

Nunc nostræ actiones, & aduersus potentissimum Imperatorem declarata sincera fidelitas, longè aliter habent. Nam vt in potentissimum, Imperatorem, veram fidelitatem nostram, restitutione arcis Lippæ comprobaremus, ob practicas plurimorum Germanizantium, accedente præsidiiorum rebellione, & exercituum nostrorum multiplici difficultate, multorum insignium militum nostrorum sanguinis ac vitæ profusione, Ciuitatem assultu, Arcem validâ impressione occupauimus, vt vel hac ratione potentissimo Imperatori gratificaremur. Interea ex parte Germanorum, tametsi sub pacis prætextu, multa donativa deferantur potentissimo Imperatori, aliâ tamen ex parte Georgium Homonai in Transsyluaniam, Sorban Waiuodam in Walachiam, valido exercitu instructos expedierunt. In subsidium quoque arcis Lippæ (ne videlicet redi illa per nos posset potentissimo Imperatori) ad instantiam præsidiiorum, validus contra nos exercitus fuit expeditus. Verum nos, accelerato itinere, illius aduentum præuertimus, & jam ciuitatem occupaueramus, cum hæc auxilia superuenerunt, Interim & arcis oppugnationem vñgendo, & contra aduentantes in campis depugnando, Deo adjutore, contra vtrosque feliciter rem gessumus. Arce igitur occupatâ & euacuatâ, juxta clemens mandatum potentissimi Imperatoris, Lippam, vñâ cum quinque arcibus & castellis ad

stellis ad eam spectantibus, nos ipsi in manus Beglerbegi Temesuariensis, Spectabilis ac Magnifici Mehmet Bassæ, consignauimus.

Ob hanc æternâ memoria dignam fidelitatis nostræ declaracionem, cui parem nemo huc usque in tota natione Hungarica, fortè nec in alia, versus Othomanicam gentem exhibuit, quam clementem protectionem, quantam bonorum affluentiam sperare debeamus à nostro clementissimo summæque dignitatis Cæsare, quam amicitiam benevolentiamque à Veziris, quam ab vniuersa Musulmanica gente gratitudinem, id nos, summi in primis Dei, ac per totum orbem diffusarum gentium ac nationum, perennaturo judicio committimus. Capitis nostri, vitæque propriæ discrimine, tot insignium militum nostrorum sanguine, tam grande obsequium præstitus, vel hac ratione, gratiam ac fauorem potentissimi Imperatoris demereri sat agentes. De totius negotij cursu, deque postulatis nostris, quæ potentissimo Imperatori repræsentamus, Vestram Magnificentiam, Orator noster, qui illic est, plenè edocebit, rogantes cum omni affectu Magnificentiam Vestram, digna postulata nostra suo fauore promota velit, quod nos vna cum nostro regno, omni gratitudine demereri conabimur. DEVS conseruet Magnificentiam Vestram diutissimè in columem. Datum in castris nostris ad arcem Lippam positis, die XIV. mensis Iunij, Anno 1616.

Magnificentiae Vestrae
Benevolus, Amicus, Seruitor,

Gabriel Betlem.

B 2

Posteriores

lia pro-
atâ pro-
uictissi-
iscepta-
. Diffi-
as fuille,
i potue-
um pro-
incolis,
um, vel
s, tractus
ne cæde,
a contra
es fuere,
derunt,
malue-
n.

ratorem
tentissi-
is Lippæ
accedé-
plici dif-
s ac vitæ
ccupauis-
ur. Inte-
donati-
eorgium
achiam,
que arcis
operatori)
uit expe-
ertimus,
enerunt,
cantes in
rem ges-
ndatum
us & ca-
stellis ad



POSTERIORES LITTERÆ BET- leui Gaborad Schenderem Bassam.

Spectabilis ac Magnifice Bassa; Bonis omnibus cumulet Deus Magnificentiam Vestram. Quām syncerè ac fraternè, quām grato beneuoloque affectu, conatus semper fuerim, Vestra Magnificentia seruire, summus Deus sit mihi testis. Nescio tamen, quo meo merito, Vestra Magnificentia, in meam perniciem, & apud splendidam portam, & alibi, multas fodit foueas, in quas ne præcipitarer, Deus hucusq; protexit. Ego in Vestram Magnificentiam nunquam deliqui, quin potius, quantum potui, demererri laboraui, & vix non seruus ipsius vectigalis fui. Quolibet enim anno, multa donaria, supellecstile argenteam, pecuniam numeratam, talem debui V: Magnificentia pendere, quarum rerum testes habeo, quos producam, cum oportunum fuerit. Ex ijs cognoscet splendida Porta, qua ratione **Vestra Magnificentia Transsyluaniam emungat.** Non solum coram, sed & apud Legatos, splendida semper verba dedit mihi V: Magnificentia, multis juramentis promisit beneuolentiam, interim conatu omni exitium meum procurauit. Hucusque dissimulaui. Litteras, quibus Vestra Magnificentia, post meum ex Transsyluania abscessum, Saxones allicit, heri accepi, quas vbi perlegissem, miratus sum vehementer, quod nondum desistat Magnificentia Vestra à practicis Transsylanicis, cum tamen nihil juris habeat in Transsyluaniam, nec existimet deposuisse nos, ac negligere curam Transsyluaniae. Rogo itaq; Magnificentiam Vestram, à practicis huiusmodi desistat, in Transsyluaniam ne scriptitet, certò sibi persuadeat, cum ijs, quibuscum cœpit, rem hanc non perficiet. Ego negotia Vestra Magnificentia non attingo, cum id mei non sit officij, ita nec Vestra Magnificentia res meas dirigat, cum nemo ipsi hac in parte quidquam commiserit.

Certò credat Magnificentia Vestra, quod & ego existimo, me tales esse seruitorem Cæsar, mei clementissimi Domini, qualis est **Vestra Magnificentia.** Seruiui, sed & nunc indies seruio Potentia suæ, cum omni justitia, quod nunc vel maximè testatum feci. Totam siquidem Hungaricam nationem, eodem prorsus modo, quo Transsyluaniam, ad pedes potentissimi Domini perdux, Isti jam suæ Potentia vnâ mecum fidelissimi erunt. Maneo nunc Posonij in Regia Hungariæ, Corona in meis manibus est, Deo gratia, post dies decem Hungari sibi

B E T.
umulet
fraternè,
, Vestræ
nen, quo
id splen-
pitarer,
inquam
vix non
donaria,
ebui V:
ducam,
ratione
coram,
Magnifi-
conatu
litteras,
cessum,
n vehe-
s Trans-
nec exi-
go itaq;
ranssyl-
cœpit,
non at-
es meas

no, me
alis est
ia suæ,
tam si-
anssyl-
tentia
Hun-
Hun-
ari sibi

gari sibi Regem eligerent. Conuenerat omnis exercitus Ferdinandi, erant vltra sexaginta millia, ante pontes Viennenses confliximus, & magnus Deus, potentissimi Imperatoris auspicijs, Victoriam largitus est, profligauimus inimicum, vltra Danubium pepulimus; Viennam conclusimus. Nunc exercitus nostros traijcimus, vt illos iterum inuadamus, & si Deus fauerit, Vienna quoq; paucos intra dies, in potestate mea erit. Totum regnum Bohemiæ, regnum Morauiæ, regnum Silesiæ, potentissimo Imperatori fidum ac beneuolum effecimus, eorum exercitus omnes penes me habeo, ex omnibus regnis Legati cum muneribus destinantur ad lucidam portam. Taliter ego inseruio potentissimo Domino; Vesta autem Magnificentia clanculum vult meos subditos à me auellere, ad rebellandum inducere, ob quod certè nunquam ei seruiam. Deus sit cum Vesta Magnificentia. Posonij, 4. Nouemb. Anno 1619.

XV.

Venetos ne ipsos quidem amicos arbitrabere: multæ causæ sunt: Prima, Aristocratiam tuentur, & Principem non nisi in speciem habent, plebē contemnunt, Patricius sanguis solus imperio dignus censetur. Naturâ itaq; inimicus est Monarchiæ eorum status. Nec expedit tibi, Tuos proceres familiares esse Venetis; amorem enim Libertatis odiumq; Regum addiscunt. Secunda, Veneti mali vicini sunt, cum nullo Italico pacem colere potuerunt, nullum Vicinum habent amicū, omnium Vicinorum ipsi sunt & muli. Patuit id numero ad Gradiscam bello, quo ex Hollandia alijsq; locis auxilia petere debuerunt. Ne dubita, nec tibi quidem erunt amici. Tertia, Tu & illi pariter dilatare regna, & Vicina Imperio adijcere satagit, non igitur diu inter corrvales pax esse poterit. Quod nunc tibi & Gabrieli blandiuntur, cauſa est, quia tuo labore ac sumptu, quam maximè Austriacos atteri cupiunt, quorum magnitudini inuident, adeoque nullum Vicinum habere, quem timeant, exoptant. Itaq; si vel Tua, vel Gabrielis potentia eò perueniat, vt illis sit formidanda, omnibus machinis obſistent. Olim Lusitania Regibus Indicam nauigationem intercludere voluere. Omnibus enim Christianis inuident se potentioribus. Turcam tolerant, eiique adulantur, cum tamen ab illo & premantur & spolientur. Denique fac, ad nutum omnia ire Gabrieli, fac ipsum Turcicis copijs adjutum, Styriam, ceteraque Cæsaris occupare, & Coronæ Hungaricæ adjungere, tunc demum necesse est, pacem

inter ipsum ac Venetos discindi. Nam ne dubites, eo rerum statu, Gabor illa quoque repetet, quæ Veneti ab Hungaricis olim Regibus, cum eos Turca premeret, vñ occassione alienæ calamitatis, in suam nafsam auerterunt. Quod si vetera noluerit mouere litigia, certè præsentia nequaquam negliget.

Par autem Venetis erit, Transsyluaniâ, Hungariâ, Styriâ, Carinthiâ, & Austriâ vnitis, & in vasallatum Turcæ datis. Ac tum quidem ad nutum magnæ Portæ, peribunt nobiles Venetiæ, cum aduersus duos validos terra marique hostes defensorem non habebunt, Quæ omnia tam timenda sunt, quam non sperandum est, Turcam vel Gabrielem, data occasione augendæ potentiaz, carituros prætextu violandorum fœderum, quasi non sit facturus Veneto, quod fecit Cæsari. Nec ignorant ista Veneti, sed inuidiâ in Domum Austriacam flagrantes, futura pericula non æstimant. Nihil enim inuidia potenterius, vtpote quæ seipsum consumit ac deuorat.

XVI.

IN Principibus, vrbibusque Germaniæ, quamdiu illis tecum est communis metus, spem locabis: ille vbi desierit, suas quisque res ager. Illi tantum sui defensionem & incrementa quærunt, eaque ex bonis Ecclesiasticis: alia enim, quæ dones, non habes; Hæc spes si decollet, bona si acceperint, cum omnibus satisfieri non possit, odisse incipient. Nam in hac diuisione, juxta legem, tibi potiorem partem applicabis, fratrique tuo, & tot Palatinis non abundantibus. Ciuitates etiam sua meritò reposcent præmia, nam pecunias gratis non exponent. Deinde Te Vrbes liberæ, & maximè finitimatæ, valde metuunt, vt Wormaltia, Spira, Francofurtum. Iam verò si fies potentior, etiam te Noriberga, Ulma, formidare occipient. Putant enim Te sibi velle dominari, aut sanè, si velis, posse. Semper enim cogitat infirmior, non quid debeat facere fortior, sed quid possit. Tertiò facile inter Principes discordiæ bellaque oriuntur. Vrbes pleriq; Senatum suum oderunt. Nec dubium, vbi timor Cæsaris abfuerit, quin ciues admodum vexati hactenus, Senatores ejecturi vel occisuri sint. Nuper se Francofurtum, Wormaltia, Noriberga commouit. Hic vestra liga dissoluetur.

XVII.

Hollandorum etiam amicitia cautè nitēris, nisi Mauritius eos planè subegerit. Socero tuo Britanno ante duos annos diffidere

diffidere cœperunt, nunc Mauritium cognatum tuum oderunt, quia illum viam ad principatum affectare haud vanè coniiciunt, Et tu quoque suspectus esse cœpisti, sed quia grauiori in Hispanum odio ardent, idcirco Tibi suspectias ferunt: Sed illi quoq; ita te adjutum volunt, vt vicissim illis sis auxilio, ad occupandum Europæ imperium, quò magnis animis, & varijs adspirant artibus. Et nisi me augurium fallat, inde prima quoq; mali labes socero Tuo alijsq; timenda est.

XVIII.

Regem igitur nouum te esse considera, certissimas multorum Regum inimicitias suscepisse, paucos habere amicos, facienda q; illa omnia, quæ nouis hominibus quondam Tullius præcepit.

XIX.

Nunc quid agendum sit vides, etsi ipse satis per te sapis tibi, & consiliarios habes versutos callidosque, tamen & hæc nostra proderunt.

XX.

Dubius rebus haec tenus valuisti, Prudentissima simulatione, dissimulationeque, deinde celeritate. Prior ars jam vim perdidit suam, altera igitur vtendum. Simulando enim & dissimulando in Europa fallere nullum potes, Itaque artem nil profuturam desinas censeo. Extant tuæ litteræ, tam placidæ, amicæ, ambitionis expertes, vt ab ipsa virtute scriptas esse putas, candidissimaq; Simplicitate. Interim cum Hollandis, Venetis, Turca, Gabriele, cunctis, qui prodesse vel obesse poterant, istum fœdus. Inopinatè rebellant Bohemi, deficiunt Silesij, Moraui, Austriaci, & quasi à machinâ, nouus adest è septem montibus hostis. Mihi jurati affirmarunt, nec Cæsarrem, nec Principes Papisticos credidisse, Te Regem esse velle. Cum electus es, perstitisti in simulatione, & res bellè successit. Credo Papistas credere, te præ amore Cæsarem Bohemiâ exclusisse. Sed serio. Noli arbitrari ullum Papistam esse tam fungum aut caudicem, vt credit tibi esse credendum. Quod si tibi credere se dicant, & jurent, Tu credas eos Tui caussa pejerare. Hoc moneo, quia manifesta simulatio odium magis exasperat. Qualis fuit illa in tuo programmate, cum hostem vocares Turcam, & significares tibi animum esse contra illum tua defen-

um statu,
Regibus,
suam na-
certè præ-
iâ, Carin-
n quidem
aduersus
unt, Quæ
urcam vel
prætextu
uod fecit
ustriacam
dia poten-
is tecum
s quisque
nt, eaquæ
spes si de-
it, odiſſe
n partem
. Ciuita-
s non ex-
valde me-
otentior,
m Te sibi
nfirmior,
cile inter
um suum
es admo-
Nuper se
estra liga

lauritius
os annos
diffidere

tua defendendi. Odiosum est, sic Principibus collegis stultitiam suam exprobrare. Cuncti enim nōrunt, & ea de re litteras Bohemorum tenent, Gabrielem, adeoquē Turcam in subsidium vocatum, à quo & Polonus ab infestanda Silesia deterretur. Quid igitur Tu eum hostem vocas, & aduersari simulas, cum ille Tibi Dominus, fautor, auctor & conciliator regni sit? Sine illius venia, nec Gabriel venire, nec Polonus impediri, nec Tu Rex esse poteras. Cum igitur in eius te clientelam dederis, amicum fore sposonderis, legationibus missis, magna ac multa obtuleris, idque constet passim omnibus, non puto negandum. Nam Betleüm etiam Bataui nostri risere, quod contra Turcam muniendos fines dixisset, cum ipse in medio regno, Lippam, aliasq; arces vi expugnatas vltro Turcis tradiderit, cum intus in corde acute Turcam alat foueatque, cum Viennam Turcico jugo subijcendam, datis ad Turcas litteris, promittat. Itaq; magis auctoritati consules Tuæ, si te Turcæ dicas confederatum, & minēris te eum adduturum. Ægrè ferent hoc vrbes Germaniæ, sed quid refert? liberè confitère, & factum esse recte, defende, quod negari non potest.

X X I.

Huc etiam pertinet, quæ reliquo in programmate est excusatio; Non enim ullum mouere poterit, si dicatur, Iustum esse alieni regni occupationem, eo quod secta quædam in eo fuerit, quæ magnos Principes seduxerit. Quid enim alijs fiet regnis, si ista admittantur?

X X II.

Altero ergo stratagemate vti perges, & prævalebis, Celeritate, inquam. Itaq; recte est factum, vt in ipsa coronatione, in Bohemia, Moravia, Hungaria, Austria, presso pede hostem insequeremini. Si sic victoriā vtemini, paucos intra menses, pedem in Germania non habebit Imperator. Ex vna victoria gradum ad aliam facies. Hoc vide, ne des tempus respirandi. Decimas retine, nam reddendo timoris suspicionem præbebis, retinendo fiduciam ostentabis. Omnia occupa ante ver proximum. Habes Spiram, Moguntiam, Treviros, ab his incipe, opes habebis & nomen, nec deerunt, qui tibi aderunt. Ver timendum est, sed confederati tui, mature tibi suppetias auxiliaq; submittent. Denique celeritate eadem vtēris continuè, quamvis fortè

fortè successus aliquis tibi requiem suadere possit. At scito nihil esse periculosius securitate. Itaque audacter perge, omnes move, Gallum demererit stude, ceteros omnes. Semper aliquid inueni, quod te a laetrem ostendat. Prorumpe, ubi non expectabaris.

XXIII.

DEniq; hoc memineris: Aut omnia, aut nihil. Hoc semper diximus, si vnum pedem Austriacæ ditionis, si vnum opidum Episcopatus alicuius expetis, habenda sunt omnia; facilius eris Imperator, quam defendas priuatus Princeps Elector aliquam Abbatiam. Nam si parte aliqua contentus sis, ea tibi ab eo, quod non acceperisti, eripietur. Tigridis catulum rapis, mater insequetur, si vtrumq; irretias, quietâ prædâ fruēris. Diuidi regnum non potest, totum haberi potest. Non fert duos Soles Germania.

XXIV.

HÆc communiter agenda sunt, Nunc super est, ut memoriam causâ, te moneamus, quomodo cum singulis agendum sit, & primum cum Cæsare. Cæsarem verbis tractabis humanissimis, ac sericis planè, petes, ut regnis cedat, te filium agnoscat, afflictissimos subditos ne turbet, Iesuitis ne credat. Eam quoque ob causam saceri tui Britanni legatum subornasti, ac pacis concordiaque spem verbis ampliè ostentare rogasti. Interim omnino machinare, ut Cæsar sit in tuâ potestate, Sic enim Rex Romanorum citò eligeris. Verum hic considera, quod diximus paragrapho septimo. Non esse ad desperationem Austriacos redigendos, nisi simul capi vel occidi possint. Nam extrema desperatio sàpè est causa victoriæ. Furor arma ministrabit, & inuenient tibi hostem vndeunque. Tantum corpus sine sonitu non cadet: alios sternet, alios trahet. Timeo ne si ipsi viderint, suâ tueri non posse, cuius malint quam inimico sua dare. Nec culpare illos tu potes. Si enim, vt latius regnares, cum Turca fœdus inijsti, ipsi q; aditum in Germaniam aperuisti, quid illi non facerent, vel salutis, vel dignitatis, vel denique vltionis causa?

XXV.

CVm Romanensibus, hoc est, Pontifice, Episcopis, Clero, moderatè ages, si quid tamen accepisti, retine, ne leuitè fecisse
Cvidearis.

am suam
orum te-
à quo &
n hostem
auctor &
ec Polo-
te clien-
s, magna
o negan-
tra Tur-
Lippam,
in corde
ibijcien-
tati con-
m addu-
? liberè
st.

est ex-
tam esse
it, quæ
ista ad-
Celeri-
one, in
quere-
Germa-
facies.
ldendo
Omnia
eviros,
lerunt.
xiliaq;
uamuis
fortè



videaris. Ratio, quia totum hoc genus quieti deditum in Germania, &, si cibum suggeras, si palpes, si colas, haud quaquam insurget. Ut animalia quædam, si mandræ plenæ sint, torpent stertuntque innoxia, fame efferantur: Ita hic quoque res habet. Si milites colligant, ne moueare, etsi enim duplo maiorem & meliorem exercitum habeant, nunquam te offendent, eum continebunt, se & suos consument, tandemque tuæ se protectioni committent. At si ad desperationem illos adegeris, reperient vindictæ modum, nec morientur inulti. Brutæ etiam pro pabulo depugnant. Timeo enim, ne se dedant potentibus, oppignorent!ditiones, ne Gallus aduocetur, ne alia fiant, de quibus sæpe actum est. Si enim velint, milite, pecuniâ superare poterunt. Volent autem, cum eos necessitas acuet, eos virtutum & vitiorum limatissima. Itaque hoc age, vt eorum Consiliarios facias tuos. Canonicos, Nobilesq; viros attrahas, omnes enim aliquos Officiales, etiam militum Duces habēt reformatæ religionis, per quos omnia expiscaberis. Cum verò indagine cinxeris, vt externa implorare haud possint auxilia, vno impetu, etiam cum puluisculo, eos exue, & opes omnibus formidandas accumula. Hoc semper time, ne illi aliquid tam inopinatum tibi inueniant, quām tu illis inuenisti. Extrema vitabis. Veneti vt domum obruant Austriacam, tanta largiuntur, quid facient Romani Cardinales, vt se seruent? De expeditione Italicâ cælabis, nec admittes mentionem, ex improviso enim opprimenda est,

XXVI.

CVm magno Turcarum Imperatore ad Portam, per legatos Soceri, Venetorum, & Hollandorum jam actum transactumque est, ne ægrè ferat se in diplomatibus tuis hostem vocari: Non enim posse alio modo illi in Germania amicos parari. Interim ab eo periculum esse tibi scito. Non vrgebit sibi munitiones in Morauiâ constitui, antequam Rōmano imperio inaugureris. Ed usque etiam differas excidium Lutheranorum, quos postea, rebus tuis certò stabilitis, commodè exterminabis. Interim modum cauendi Turcas vix illum video: Sienim vno anno delere Austriacam progeniem posses, & Germaniæ viribus te munire, deinde Gabrieli persuadere, vt ab Othomanica seruitute recedat, haud dubiè Turcæ resistere posses. At nunc Gabriel id potius agit, vt Turcæ subdat quām plurimos, & ejus Monarchiæ fines stabiliat proferatque. Quod quidem ego arbitror esse boni serui, sed miseri Regis.

Dum



ermania,
erget. Ut
innoxia,
igant, ne
habeant,
ent, tan-
onem il-
ri. Bruta
tentibus,
e quibus
oterunt.
vitiorum
ias tuos.
fficiales,
mnia ex-
are haud
, & opes
i aliquid
rema vi-
tur, quid
licâ cæla-
la est,

per lega-
nsactum
Non e-
im ab eo
Morauia
ue etiam
rtò stabi-
urcas vix
iem pos-
ere, vt ab
sses. At
, & ejus
arbitror

Dum

Dum verò in illo metu versaris, Bassas omnibus modis, sed ma-
ximè pecunia conciliabis. Purpuratos aulæ tuos facies, nam munera
si mittas, omnia impetrabis, idque facies, etiam si hostis sis. Nam in
magnō regno plus s̄aþe potest consiliarius, quàm Princeps. Interim
verbis Turcas coles, omnia promittes, sed ita, vt noris officium ibi
nullum esse maius & potentius nummo.

XXVII.

Bohemos tuos ita tractabis, vt habeas subditos, vtq; filios
tuos Reges eligant, & filios filiorum. Nam temerarium esset, in
mediam belli flammam se coniçere, si posteris tuis inuidia solum,
non etiam regnum quæreretur. Non facient spontē, aut sanè si factu-
ros speras, prudentis est tamen sibi suâ prouidentiâ consulere, non ab-
æstu comitiorum pendere. Subdes autem eos simulando, promo-
uendo, remouendo.

Simulando nimirum summam securitatem & confidentiam, vt
nemo propositum tuum subodorari possit. Tiberius tibi præceptor
esto, qui eos, quos euertere cupiebat, summopere honorabat, deinde
securos opprimebat. Hoc scitum: quia honores pauci moderate
ferunt, ideoq; semper altius ascendere, quàm oportuit, moliuntur.

Promouendo tuos, immo & hostes, sed tolle in altum, vt lapsu
grauiore ruant. Nemo hostem facilius vincit, quàm si in altum ducat,
vnde se præcipitet. Belgium & Britannia prouexit, & extulit quàm
multos, sed quos certò ruituros expectabat, & ceciderunt. Cadet aliis,
qui sequitur, ac fudit. Promoue antè Tuos, quos putas fidos, alias,
quos putas casuros.

XXVIII.

Remouendi sunt audaces, alterius religionis homines, li-
bertatis amantiores, quàm regno expedit.

Audaces & temerarij cauendi, quia gratosi vulgo, & magnani-
mihabentur. At Regum securitas in submissione & pusillanimitate
subditorum consistit. Exempla in promtu & propè sunt.

Lutheranos & Hussitas suppresses, vt in Anglia Puritani & Lu-
therani pressi sunt. Papistæ & Anabaptistæ nihil molientur, satis
enim attriti sunt. Lutherani pari jure cum reformatis contendunt,
Saxonem jaçtant, ab exteris firmantur. Itaq; eos in ordinem redige,
quemadmodum in Hollandia Remonstrantes siue Arminiani reda-
cti sunt.

C 2

XXIX. Modus

XXIX.

Modus amouendi, per speciem honoris, mandando speciosas & impendiosas functiones. Sic Turrianum in Britanniam Legatum mittes, qui te potentior erit, quamdiu Bohemiam inculet. Sic Mansfeldium aliò alegabis.

Modus alius per accusatores, vt litem intendant ciuilem, vt calumnijs variè petant vexentq;. Nunquam inter discordes deerunt occasiones: Tu sere discordias & pugnas. Qui amantes sunt libertatis, & exacto altoque ingenio, eos omnibus technis & versutijs persequere. Exemplum nuper in Batauia editum. Et sanè Barneueltium, vix totis viribus connixi, Mauritius sacerque tuus occiderunt. Quod tamen necessarium erat. Sed hoc actum cautissimè & prouidentissimè, vt per ipsos Ordines occideretur.

XXX.

Omne periculum in regno tuo Tibi imminet à Proceribus. Hos eliminandi, deiiciendi, aut etiam è medio tollendi hunc modum tene. Tres sunt ordines in Bohemiâ, Dominorum, Nobilium, & Ciuitatensium. Inter hos acerrima æmulatio est, Ciuitatenses enim ferè contemnuntur. Tuum erit, primò aggredi Dominos, hoc est, Comites & Barones, Deinde Nobiles, postremò Ciuitatenses jure suo priuare. Domini erunt ferè auferendi è medio. Nec mirare: Documentum Regium est; Spicas eminentes decutere. Nisi feces, se cabere. Primò, qui familiares sunt Tibi, & Tuis, per idoneos homines, magnâ illos spe inflabis, vt contemnant præ se reliquos, injuriosè agant, ideoque exosi reddantur. Deinde inter se vt contendant ac committantur, effice, sicque aliquos tolle. Ciuitates interim extolle, donec per eas Nobilitatem deijecteris, cui rei illæ operam volentes lubenentesque conferent.

Florentibus enim Proceribus, precariò regnabis. Illis oppressis, Ciuitates adorieris, ad Te tuosque reuocando judicia, Ciuium querelas contra Magistratus audiendo, curando, juuando; Sic venies ad mutationem cibrationemq; Senatorum, qualem in Hollandia nuper instituere. Vbi Senatus fuerit tuorum humorum, tandem rusticos & pauperes, tanquam popularis & Tribuniciae potestatis, Ciuibus æquabis, & sine labore, sicut desiderat cor tuum, absolute dominaberis. Vno verbo: morte vel exilio trecentorum procerum, regnum tuum in tuto collocabis & stabiles.

sub M

XXXI. Nunc

XXXI.

Nunc præclara occasio se offert. Exercitum habes, eo domabis & tuos. Militem cole, & ex Germanis tuis habe, ipse in castris esto. Dux tuus potentior Te erit, si pro te bella gerat.

XXXII.

Aerarium ne Status habeant, Tu semper aliquid pete. Si in te transferre non poteris, fac ut diuidant ipsi: quod haud difficulter assequeris. Denique, quod caput est, Pragam compescere.

XXXIII.

Germanos tuos Principes adorabis: Comitibus Comis eris & blandus, ludes & potabis cum illis, mores eorum sic disces. Cum vrbium legatis, de eorum commodis ages, & quia totas Curias inaurare non potes, Syndicos, Secretarios, & qui auctoritate præcæteris pollent, Tuos facies, nullis impendijs parces.

Hoc suadeo, vt oportunè opulentas vrbes, Noribergam, Vlmam, cæteras in tuam redigas potestatem, nam eorum opibus firmitè te communire poteris. Imitare Iulium Cæsarem, aliosque, qui complures vrbes prædæ caussa diripuerē. Non offendes ea re Principes & Nobilitatem, si & illis bolum aliquem in fauces injeceris. In Hollandia clandestinis nunc agitur machinis, vt Ambsterodamum sit in Mauritij potestate: tantæ enim ibi opes sunt, vt decennali bello sufficient. Francofurtum si inescare & inuadere possis, mirificè rem tuam stabilieris. Egentes & obærati ciues, spe spoliorum illecti, lubentissimè Tibi mutuas tradent operas.

Si vrbes dolo blanditijsq; capere non poteris, plebeios vulgusq; promiscuum concita, Tribunus plebis esto, Patriciorum fastum, insolentiam, injurias, contumelias, vltum venire te simula. Scis, quām id Noribergæ, Vlmæ, Francofurti, Wormatiæ, gratum sit. Vrbibus occupatis, earumque neruo validus fortisque, Comites aliosque nobiles in ordinem redige, & summa illa papauerum capita prudentè demete. Non enim aliter Rex eris.

XXXIV.

Ante omnia, ne tuum cum Turcâ fœdus cognoscatur, aduerte. Catilinam enim patriæ, & libertatis Germanicæ proditorem

proditorem dicent. Nemo enim ignorat, Turcicæ tyrannidi receptum esse, Principes, & Nobilitatem è medio tollere.

Denique in Regno, in quo nihil præter vim habes, vim exerceto, sed mistam dolis astuque, donec omnia possideas. Turcam metue, Gabrielem caue, contra Austrios pugna, Proceres Bohemos sensim minue, Ecclesiasticos ne time, ne ad desperationem adige. Nunquam bellum offensuum gerent, etiamsi potentiores : Animalia nulla leonem aggrediuntur, mille oves nunquam unum lupum inuadunt, nec leonem centum boues. Tu leo es, non timebis eos, sed vires contra hostes alios verte. Morauiam custodi, hæredibus prospice. In Belgio Hispaniensi, speramus aliquot Ordinum Vrbiumque transfusia, quod si euenerit, res tuæ in tuto erunt: Sed festinandum, nam omnes confœderati, eodem tempore, & Te regem Germaniæ, & Mauritium Dominum Belgij videre summis votis exoptant. Si tamdiu quieuerit Gallus, haud dubiè vicimus. Iam enim Principes vrbesq; vobis fœdere vñitas, vt se parent, excitauius. Ponemus in medio Franciæ, si possumus, Bullionum, aut eius filium, si non possumus, quemuis, qui se nobis junxerit.

Hic autem nunc desino, & hæc monita è media arte Politicâ de-
promta, vt altâ mente recondas, inque usum & actiones tuas felicitè
transferas velim. Reliqua pro re nata, ubi tempus cauissaq;
poscet, lubens, vti possum, vti debeo,
fideliter communicabo.

F I N I S.



nnidi rece

n exerceto,
am metue,
nos sensim
Nunquam
nalia nulla
inuadunt
d vires con-
spice. In
ue transfu-
ndum, nam
ix, & Mau-
Sit tamdiu
es vrbesq;
s in medio
possimus,

Politicâ de-
as felicitèr
ussaq;

N. 3786. 6K

V317 7C



ULB Halle
004 800 842

3



EX G
b

SE
N S T
B R I T
D E

E R S A A C

ulgata.

X.

BIBLIOTHECA
PONICAVIANA

